



Disputatio medica de homine : quam ... auctoritate ... Gerardi de Vries ... publicae disquisitioni subjicit Henricus Spoor.

<https://hdl.handle.net/1874/343822>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HOMINE,

OVAM
AUSPICE DEO OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academia Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissima
Facultatis MEDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus Prærogativis &
Privilegiis, ritè legitimè & solenniter consequendis,

Publica disquisitioni subjicit

HENRICUS SPOOR, ULTRAJECTINUS.
Art. Lib. Mag. & Philos. Doct.

Ad diem 7. FEBRUARII, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,


Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clō lcc xciii.

DEO

Immortali Mortalium Archi-
tecto, Conservatori, semper
benefactori.

Viro Spectatissimo

JOANNI SPOOR,
Parenti suo plurimum co-
lendo.



Has Theses offert

HENRICUS SPOOR.

Typographi, cl. de Koll.

PROLOGUS.

Notitia de homine, usque adeo veterum animos delectavit, ut multi eorum rebus omnibus post habitis secessum petiverint, hominem speculaturi: existimabant enim omnium scientiarum tam naturalium quam supernaturalium basin esse, si homo cognosceret, quid esset homo, ne tamen quispiam arbitretur, nos in hisce thesibus velle considerare hominem prout ad philosophiam, ethicam vel ad alias scientias spectat: paucis premonendum duximus, nos cum solummodo consideraturos in quantum censetur objectum artis Medicae. Cui speculationi, si ulli maxime convenit illud Solonis ἡὐδὲν οὐδὲν, enim vero nulla methodus existit facilius ad hujus universi creatorem cognoscendum, eumque debita religione venerandum, quam humana fabrica cognitio. Quicquid enim philosophus in contemplatione hujus mundi machina admiratur, illud ipsum & quidem gradu longe excellentiori admirationem parit medico humanam fabricam speculanti. Imo vero etiamsi omnis pulchritudo hujus mundi ejusque partium elegans proportio alicui innotuisset: tamen in iisdem elegantiana humani corporis partiumque ad se invicem simmetriam desideraret. Est enim homo quasi mundus compendiosus, vel potius quicquid elegantiae reperitur in hoc universo, id ipsum corpus humanum in se continet, completiturque: ita quidem, ut quantum homo à mundo superetur magnitudine, tantum eundem superet & pulchritudine. Quamobrem si pensum illud, quod mihi in his thesibus absolvendum sumsi, rite & breviter exequi voluero: idem mihi conigiisse videtur, quod nobili quondam apud Romanos Historiographo Floro, qui ubi vellet historiam Romanam posteritati mandare, non unius populi, sed totius generis humani facta putavit recensenda, pariter quoque mihi de homine disputatura, non enim de homine tantum foret agendum, sed de universa hac mundi machina. Tamen cum angustia harum thesium id minime patiatur: hominem considerare institui secundum quatuor status. Nempe ejus primordia in utero materno: secundo ejus augmentum: tertio ejus statum sive aetatem virilem: postremo eundem versus senectutem declinantem. Hoc enim circulo, quodcumque in hoc universo existit, absolvitur. Ne tamen ubique in theoreticis herere videar, singulis statibus morbum magis peculiarem subnectemus.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

HOMINE.

§. I.



Omo definitur animal mente præditum: de
hujus animalis primordiis tanta fuit prisco-
rum in opinando diversitas & ignorantia, ut
nuspian cæca antiquitas, errores suos ma-
gis posteritati prodiderit, quàm ubi homi-
nis primam originem investigavit: dum ple-
rique eorum hanc fingeant hypothesin. Na-
tura in principio suæ existentiae primò pro-
duxisse animalia vilioris conditionis, postea
tractu temporis & experientia magistra evadens doctior homi-
nes procreavit, haud equidem ab initio undique perfectos sed
modò absque pedibus, modò cum duobus capitibus, aliisque
defectibus, quod videre est apud Apollonium Rhodium Argo-
nauticorum. 14. ubi sic ait.

Θῆρες δ' ἔθρεον ἰοικότες ἀμνησιν,
οὐδὲ μὲν ἴδ' ἀνδρῶν ὁμὸν δέμας,
ἄλλο δ' ἀπ' ἄλλων

Συμμιγέες μελέων κίον ἀθρόοι ἢ τε μῆλα
Ἐν σαβμῶν ἄλις εἰσιν ὀπιπυεύοντ' ἰομῆι.
Τόιους ἢ ποτότερος ἐξ ἰλύθ' ἐβλάσπασε
Χθῶν αὐτὴ μινθῆσιν ἀρηρεμένους μελέεσσιν.

Nec satis erat in hunc scopulum impigisse, quin accederet &
ambitio de loco nimirum, in quo primum homines fuissent ex-
orti: etenim Stoici volebant, ubique terrarum homines fungo-
rum

HENRICUS SPOOK

rum adinstar crescere, alii, ut Ægyptii, Phænices, Phryges suo solo id peculiare dicebant. Et quod miremur, Plato alias divinus suæ Atticæ hanc laudem vindicavit. Sed his missis ad rem veniamus. Unicuique enim notum est, Adamum & Evam primos fuisse homines à Deo creatos, qui postea ex commixtione utriusque feminis in utero homines protelarunt, neque sentiendum cum Aristotele, qui statuit solum semen virile, generationem absolvere: cum per anatomen certum sit in fæminis reperiri semen, quod nobis idem est, quod anatomici vocant ovum in ovario, quod nihil aliud est, quam minimorum ovulorum congeries, quorum unum ubi imprægnatur ab aura seminali ipsius viri censetur fieri conceptio: quæ nobis ad hunc modum fieri videtur. Semen virile, corpus constans partibus, summe exaltatis spirituosis & salino-volatilibus, adeoque ad motum capacissimum,prehendit aliquod ovum muliebri, sic tamen ut in illud spiritus feminales incidentant omnes (si forte unum excipias) indirecte postquam incidentiam recta tendunt ad centrum ipsius ovi moraliter rotundi: in quod minime concurrunt, sed paulo supra centrum fit concursus ob passam refractionem à perpendiculari, in quorum mutuo concursu primo vesiculam quandam, deinde post mutuam secessionem septum transversum ex crassiori ipsorum materia constituunt, & sic cor ipsum constituunt, quod latius videndum. Cor autem in perfecto homine constitutum est non in centro ipsius hominis, sed paululum elevatius. Neque spiritus feminales recta tendere ultra ipsum centrum potuerunt, impediit enim ille eorum concursus supra centrum ovuli, ex quo sequatur necesse est, spiritus auræ seminalis suam determinationem motus debuisse mutasse, quæ motus determinatio fieri debuit à rectâ in obliquam, ob eorundem incidentiam mutuam oblique, statuimus enim spiritus auræ seminalis esse corpora spherica, quod postea probabimus, ex quibus necessario sequitur naturaliter tantum potuisse esse unum cor, secundo, cor debuisse habere figuram ferè pyramidalem, tertio venas & arterias esse simul formatas, adeo ut principium utrarumque sit in corde, & quidem in ea parte cordis, in qua eas sitas docet Anatomia, alias enim angulus reflectionis non esset æqualis angulo incidentiæ, itaque spiritus seminalis cum in puncto concursus, motu adhuc

fatis valido & celeri gaudent, à se invicem reflexi per universam ovuli substantiam perreptarunt, in ea fermentationem inducendo, atque iterum pro varia incidentia in substantiam ipsius ovi canales in varios maxandos efformatos fabricati sunt: donec sibi mutuo occurrentes in se invicem egerunt: non enim membranam ovi penetrare potuerunt, ex quorum mutuo concursu & actione glandulæ factæ fuerunt. Nam necessarium erat ut ex illa mutua lucta bullæ quædam generarentur, sicut videmus ex concursu duorum liquidorum. Tamen cum spiritus feminales sinistri ventriculi motu validiori pollerent, alii verò motu imbecilliore (quod statim probabitur) sequi debuit, ut spiritus sinistri ventriculi determinationem motus in aliis mutarent, quo facto prima circulatio celebrata est: forte interrogabit me quispiam, cur majorem motum assignemus spiritibus, egredientibus ex sinistro cordis ventriculo præ spiritibus contrarii ventriculi, cui respondendum, spiritus dextri ventriculi plura vasa sive giros efformasse, quàm spiritus sinistri, nimirum foramen ovale cum suo vase, ex quibus necessario sequitur in puncto concursus utrorumque, utrosque non potuisse habere æqualem motum, cui addi potest, quod ante concursum utrorumque spiritui ex sinistro ventriculo erumpenti addatur multum motus per foramen ovale, cum illa via sit brevissima, atque hinc datur ratio cur in cerebro non reperiantur venæ. Neque tamen ita facta est prima circulatio, quin maximam resistantiam invenirent spiritus sinistri ventriculi, ubi prope centrum motus nempe ventriculum dextrum pervenissent, etenim spiritus prope centrum existentes, utpote minus disgregati, motu valebant validiori, adeoque aliis sese validius opponentes, ex quo secutum fuit, ut ingens inter utrosque oriretur lucta, atque ita cum neuter lineam rectam absolvere posset, neque etiam retrogradi, factum est, ut in lineas obliquas, quo motum suum continuarent, abire debuerint: tamen spiritus sinistri ventriculi prævalentes ad dextrum ventriculum pervenerunt, ex qua lucta genitum est hepar, corpus glandulosum: simili ferè methodo cætera corpora glandulosa genita putamus, quorum ulterior generationis modus facile deduci potest ex dictis: sed ut hanc opinionem venarum scilicet & arteriarum ex corde principium aliquo argumento stabiliamus, tantummodo

confi.

consideranda venit utrarumque structura, sic videmus, eas prope cor esse latissimas, quo autem longius recedant à corde, eò capacitas earum fit angustior, supponamus enim cum aliis solummodo spiritus seminales erupisse ex sinistro ventriculo, atque sic arterias & venas produxisse, qui fieri potuit, ut venæ, quo cordi sint propinquiore, eò sint & capaciores, cum spiritus seminales quò magis sint à centro motus remoti, eò ipso ad vasa capaciora efformanda sint ineptiores, adeoque prope cor venæ deberent esse angustissimæ, huic responderi posset, hoc tantum pendere à certa particularum in ovo dispositione, sed quis unquam demonstravit, in qua sita sit ista partium dispositio, qui idem respondere videntur, quod Peripatetici multa per occultas qualitates resolventes: equidem minimè negamus, particularum positio ad generationem aliquid conferre; sed ad cor redeamus, & inquiramus, quo modo cerebrum sit generatum. Spiritus seminalis post eruptionem ex sinistro ventriculo statim ejus subtilior portio, & ad motum capaciorem superiorem ovi partem petivit, ibidem cerebrum efformatura, quod formatum fuit ad eundem ferè modum, quo cætera corpora glandulosa, cum hoc tamen discrimine, quod ille spiritus non obviam habuit alium spiritum ventriculi oppositi, nec hoc necessarium erat, etenim illi in membrana partem ovi interiorem arietantes, nec penetrare eam valentes, primò tunicam glandulosam five piam matrem effecerunt, postquam arietationem, infinitis bullis genitis, per universam substantiam ovi nervos effecerunt, post reflectionem enim motu adhuc celeri gaudentes totum ovum permeaverunt; secundò intelligitur, quomodo muscoli generati sunt, aura enim seminalis cum ulterius secundum lineam rectam pergere non posset, variè distorta fuit, atque tubulos varios constituit: cum musculus nihil aliud sit, quàm corpus quoddam productum ex tenuissimis nervorum filamentis, quibus factis ovum intumescit, adeo ut spatium amplius desideret, & sic ex ovario per tubas fallopianas cadit in uterum, quamvis statuamus ante hunc descensum omnes partes hominis esse formatas, tamen omnium generationis modum explicare harum thesium non patitur angustia; igitur fetus descendit in uterum, in quo situs ejus naturalis est, ut supra ventrem jacens caput ejus respiciat osculum internum uteri, de-

buit

buit autem caput in descensu præcedere utpote gravius cæteris partibus, & ob eandem rationem supra ventrem jacere propter gravitatem & aliqualem protuberantiam ejus; hinc concludimus vasa umbilicalia debuisse esse eo loci, ubi de facto sunt, ea verò pars, qua venter fætus tangebatur superficiem uteri, fuit calefacta, & rarefacta, quo factum est, ut facilis daretur transitus spiritui seminali motum centrifugum jam habenti, verùm ubi uterum pervadere nequit, ab eo denuo reflectitur, & necesse habet ad fœtum redire, aliàs enim angulus incidentiæ non fuisset æqualis angulo reflectionis, quomodo autem placenta sit genita ex ante dictis colligitur: interea spiritus seminales varie adhuc substantiam ovuli agitanter crassiores partes separant à tenuioribus, materiam ossibus præbentes. His peractis fætus nutritur circa decimum quartum diem à conceptione sanguinis materni rudimento, humore albo simplici ope glandularum placentiæ secreto, quo nutritur novem mensibus, quamvis hunc terminum ad aliquot menses sæpe excedat, prout videre est apud Hypocratem & Spigelium *L. 7. de format. fœtu.* circa quod tempus excluditur duabus membranis vel quod vero similis tribus involutis respirationem liberiores desiderans.

§. I I.

Haectenus hominem in utero matris latitantem conspeximus: pauca dicenda forent de morbis, eum tunc temporis infestantibus sed, cum illi vix medicinam admittant, consulto præterimus, ideoque hominem jam in lucem editum & usque ad annum trigessimum incrementa capientem conspiciamus, quod temporis spatium in varios classes dividitur ob diversas, quæ tunc contingunt, mutationes, infantiam scilicet, pueritiam, adolescentiam & juventurem; in infantia & præsertim primis ab exclusione mensibus homo vix quidpiam aliud refert, præter molem inertem motus imbecillioris capacem, ideoque quasi continuo somno obruitur, nec dum enim spiritus animales dominio potiti sunt, sed plurima humiditate involvuntur, & à se invicem segregantur, quæ humiditas paulatim evaporat, ut tandem sanguis magis vegetè in vasis fermentescat, & spiritus animales puriores producat, nam à sanguine & spiritibus unice dependet viscerum omnium robur, unde calor innatus nobis in duobus consistit, quorum primum & præcipuum est sanguis

gus vegete fermentans, spiritusque animales debite totum corpus eradiantes, qui suo motu viscera & cor præcipue valide actuant, est enim cor veluti centrum motus totius fabricæ humanæ, nec aliud quidpiam est, nisi musculus validissimus multis fibrarum ordinibus donatus, qui in infantibus imbecillius vibrans postea robur ejus magis constituitur, fermentum ei implantatur massam sanguineam amplius accensurum. Quod fermentum mihi nihil aliud est præter spiritus animales sese sanguini in cordis ventriculos effuso insinuantes. Interea ossa stabiliuntur & generatim primis mensibus partes minimum augmentum assument, sed natura unice intenta est, ut humiditatem ex sua circumferentia expellat, ob hunc finem instituit, ut infantes aliquoties vagirent, ut Plato insinuavit, quamobrem primis mensibus alimento paucissimo coque simplicissimo contentus est infans, in quo sane naturæ providentiam miremur, quod alimentum ejusdem fere rationis existit cum eo, quod in utero assumebat, nisi prius foret consistentiæ paululum solidioris, hoc omnino requirebatur cum infans exclusus solidiori alimento indigeat, & crescente ætate ad eadem assuescat. Alimentum istud fertur per arterias mammarias ad glandulas, in quibus secernitur à sanguine, secretionem ejus adjuvante spiritu animali, lacti dulcedinem tribuenti, quamvis non negandum ad secretionem eandem plurimum conferre certam quandam pororum glandulis convenientiam cum partibus existentibus in sanguine, humor hic secretus per papillam exsugitur, prout autem lac illud à suo statu naturali deflectit, multos morbos ipsi infanti creare est aptum, inter quos præcipui sunt ventris tormina, dolores & motus Epileptici, qui originem suam ducunt à lacte acido in ventriculo & intestinis stagnante summam acrimoniam adepto, quæ filamenta nervorum distrahendo & scindendo hos morbos efficiunt. Contra quod malum remedium aptum est, ut humores isti temperentur & educantur, quod optime præstat tantillum rhabarbari cum tantillo antimonio diaphoretico, vel si vermes adsint, quod plerumque contingit, detur aliquid seminis sanctonici. Nec quid aliud in illa ætate occurrit, quod singularem considerationem meretur, nec etiam à pueritia multum differt, nisi quod hac ætate osse hyoïdis densato, pueri articulas voces proferre incipiant, accedit quod multis cruditatibus viscera

eorum soleant scaterere, pueri enim quorum stomachus nec dum sufficiens robur est adeptus cibis digerendis, quos illa ætas ingurgitare solet, omnino est impar. Qui cibi in stomacho & visceribus moram longiorem trahentes putrescunt, aptissimi deinde ut vermes producant, ad quorum generationem nullatenus opus videtur ova admittere, cum ad illos producendos solus sufficiat partium secessus sive putredo: mirandum ideo, quosdam opinionem Harvæji amplexos fuisse, cum nihil sit tam conforme principiis Physicis, quam opinio nostra. Si tamen novissent illi illius opinionis auctorem non fuisse Harvæjum, sed ipsi Homero fuisse cognitam, forte in contrariam sententiam ivissent; sic enim loquitur libro decimo nono apud Homerum Achilles.

Δείδω, μή μοι τόφρα Μενoitii ἀλλυμον ἄν
 Μύμη, καδδύται κ' χαλοτύπες ὡ τειλάς
 Εὐλάς ἐθελώνται, ἀεμίωσι ὃ τευρόν
 Ἐκ δ' αἰὼν πεφαται, κ' ὃ ἅλα πάντα Γαπίη.

Id est

*Timeo, ne mihi interea Menatii fortem filium
 Musca ingressa in impressa ære vulnera.
 Vermes generent, deurpentque cadaver:
 (Vita autem adempta est) inque corpore omnia putrescant.*

Sed quidquid sit, isti vermes ex corpore sunt expellendi, alias morborum Iliada excitaturi, quod optimè præstat Mercurius dulcis & generatim quæcunque sapore amaricanti sunt prædita. Adolescentia vero & Juventus ab his magis immunis est, nam his ætatibus homo calore magis vegeto & robore abundat, adeo ut cruditates digerat, concoquat, & ad habitum corporis, vel ad alia emunctoria corporis expellat. Hac ætate hominem optimè veri comparaveris, quia in vere quæcunque torpida in hyeme & exsanguia jacuerunt, in vere reviviscunt, multoque spiritu turgida motus suos repetunt; etenim elementa, sole signum tauri & geminorum percurrente, novo spiritu luxuriant, quæ sanguinem in vasis animalium ebullire faciunt, & profecto quæ mulier in vere est tam emarcida, quæ non fratercule, aut
 quis

quis vir tam effatus qui non fororiet. Eodem modo contingit in adolescentia & juventute, hæc enim ætas est, quâ natura non amplius intenta est, ut augmentum partibus subministret, sed spiritu & sanguine luxuriante natura quasi choreas ducit, nec non ad seipsam perennandum semen producit; interea anima rationalis functiones suas rectius obit, dum spiritus animales motus suos rectius absolvunt, hinc barba, virilitatis nota, erumpit, vox evadit sonora, fortis, virum decens, quæ omnia arguunt fermenta perfectionis gradum attingisse, virginibus quoque erumpunt sua menstrua, quibus natura *τεκμηριον* exhibet, virginem jam viro esse aptissimam, quare tum temporis, virgines quantumvis pudicæ *κλιθεϊσιν*, καὶ *κλιθεϊσιν*, quæ omnia ostendant sanguinem perfectionis & fermentationis gradum à naturâ designatum attingisse. Denique sicut sese recte habent virgines menstruis debite fluentibus, ita morbi quicunque ipsis evenire solent, si in hisce defectus, quamobrem obstructio ista citissime est tollenda, & sanguis in majorem fermentationem excitandus. Quod absolvunt pillulæ cachecticæ, trochiscide, myrrha &c. spirituosâ hic non semper profunt, sed ea, quæ motum validum & tardum in sanguine excitare possunt.

§. I I I.

Restat, ut hominem in statu conspiciamus, in quo omnia tam partes solidæ quam fluidæ perfectionis *ἀκμην* attigerunt, atque in hoc ad annum usque quinquagesimum perseverat. Quamobrem hic locus esse videtur, ut pauca dicamus de spiritu, sanguine & partibus solidis: spiritus quod attinet, sunt illi corpuscula summe tenuia, simplicissima, motus capacissima, in glandulis cerebri ex sanguine puriori secreta, qui motus in homine sunt principium, in glandulis enim cerebri a sanguine segregati primò minimos tubulos subintrant, qui tubuli per univèrsam substantiam cerebri gyrati in diversis locis in unum fasciculum coeuntes per totum corpus disperguntur, ita ut membra etiam minima habeant talem tubulum, per quem spiritus fluitant, qui terminatur in glandula aliqua cerebri. Quamvis hæc sententia per Anatomiam demonstrari nequeat, tamen rationi videtur conformis. Spiritus verò animales nobis videntur esse corpora sphærica, alias enim concipi nequit, quare

motus sint adeo perniciosi & regularis, secundo ut forent aptius
 instrumentum ipsi animæ rationali, nam nullum corpus motuum
 tam variorum & multiplicium simul capax est, quam corpus
 sphericum, imo prout spiritus animales magis vel minus sphæ-
 rici sunt, eo aptiora evadunt instrumenta animæ rationali: tertio
 nulla alia cavitas assignari potest ipsis nervis, quam rotunda,
 ex quo sequitur corpus quod per eam fluit, debere esse rotun-
 dum; quod nisi admittatur, non video quomodo in istis mini-
 mis tubulis sæpissime non orirentur obstructions. Sed inferret
 quispiam ergo in homine datur corpus spiritibus animalibus adhuc
 subtilius, quod libenter juxta regulas Mathematicas admittimus.
 Spiritus quoque circulari putamus ex nervis in sanguinem.
 Motus spirituum sæpissime nimis intenditur, ita subinde ni-
 mis remittitur, & oriuntur tum affectus soporosi, Carus, Apo-
 plexia & alii, quos frustra curaveris, nisi Phlebotomiam (pre-
 fertim in Apoplexia sanguinea) celebraveris, etenim spiritibus,
 jam viribus imparibus, ad cor cum tota massa sanguinea circum-
 pellendum pars sanguinis detrahi debet, ne in ventriculis cordis,
 vel aliis vasis stagnet, & suffocationem inducat; neque tantum
 spiritus animales motus censentur principium, verum etiam plu-
 rimos humores, ut succum pancreaticum, salivam, aliosque tem-
 perant, quinimo habitui corporis colorem floridum largitur, &
 plurimum semini sese immiscet. In sanguine quanta sit abun-
 dantia spirituum unicuique patet, ideoque in vasis ex puriori
 chylo confectus plurimo sale-volatili abundat, nec immerito bal-
 samus vitæ appellatur, in quo reperiuntur omnis figuræ partes
 quod plane necessarium erat, ut eo aptius omnes partes corporis
 alimentum ab eo acciperent, nec minus quoque ut fermentatio
 in eo melius absolveretur. Duo motus in sanguine veniunt con-
 siderandi, quorum alter circularis, cujus cor principium est, al-
 ter ei naturalis in quantum est humor fermentativus, eatenus ve-
 rè producit pulsum validum, pro fermentatione majori vel mi-
 nori. Verum sanguis, ne aliquando inter circulandum ab hac
 fermentatione desisteret variis fermentis in liene, testibus, corde
 inspiratur. Sic etiam in variis locis ut hepate & habitu corporis
 sua recrementa deponit; nobilissimum verò officium sanguinis &
 spiritus animales conficere, & semen in testibus deponere, quæ
 duæ

duæ partes sanguinis sunt maximè delicatæ. Et si ullibi in toto corpore animæ subjectum sit assignandum sanguinem esse puto, pro quo, ut varias rationes fileam, Sacer textus stare videtur in *Genes. c. 9. v. 4.* De partibus solidis multa prætereuntes non multum disquiremus, quæ in hoc statu tenorem suum adeptæ nullâ humiditate superflua obruuntur, quæ vel per urinas amandatur, vel per habitum corporis diffatur. Quo fit, ut muscoli validè moveantur, verum quidem est, spiritus animales esse causam motus voluntarii in musculis, quibus corpus agitur & movetur, qui motus musculorum nihil aliud est, quàm inæquilibrium alicujus musculi cum suo antagonistâ, nam quemadmodum in magno mundo nullus observaretur motus, si omnia forent in æquilibrio, ita quoque in parvo mundo: sed magna adhuc restat difficultas, quid dicendum de primo spirituum motore, & maxime unde spiritus animales talem quantitatem motus, quam antea non habebant, acceperunt, quæ ut intelligantur, consideranda venerit natura motus, quæ nihil aliud quam inæquilibrium quoddam unius corporis cum alio, quod inæquilibrium resultat ex partium diversâ figurâ, igitur cum spiritus animales varium inæquilibrium inter se & cum aliis corporibus obtineant, motus in spiritibus excitantur diversissimi, quorum tamen motuum conscia est anima, de illis judicando & ratiocinando. Cæterum in statu vitæ natura minime sistit, cui morbo hæc ætas sit plurimum obnoxia ex dictis colligitur, febribus nimirum & plerumque continuis, enimvero spiritus in sanguine luxuriantes sæpe nimis associantur, atque accensionem cruori conciliant, æquabilem mixtionem turbando; cujus curationem in viro robusto rectè aggredieris, si præmissò clistere vel levi purgante phlebotomiam celebraveris: imo sæpissime in febribus medicus spectatorem agere debet, præsertim cum natura satis robusta hostem suum extra castra satis est expulsura, nec multis medicaminibus illo tempore natura est interpellanda.

§. I V.

Series rerum tandem nos perduxit, ut videamus hominem in statu declinationis, in quo omnia ei in pejus ruunt, ita quidem ut mirari liceat quorundam extremum errorem, ne dicam dementiam, qui sibi persuasi sunt, se posse hominem à senectute præser-

vare, ita ut semper vegetus & ad munia peragenda idoneus habeatur, quod imprimis contra communem naturæ cursum est, potuit enim natura in quolibet vivente certam quandam spirituum aliorumque principiorum quantitatem, quæ simulac perfectionis gradum attigerunt, in eo minime quiescunt, sed tenues in auras evanescent. Et vero quæ potest fingi panacea, quæ hunc spirituum defectum vel restauret vel impediatur. Non ideo negamus vigorem aliquem addi posse senibus, qui tamen longas moras trahere nequit; enim vero ipsa partium dispositio in corpore mutetur necesse, adeo ut partes evadant rigidiores & tubuli angustiores, & quemadmodum in primordiis hominis vita originem suam sumpsit à cordis motu, sic etiam mors originem suam ducit à motus defectu in corde; ita ut causa immediata ipsius mortis solummodo sit cordis à suo motu cessatio, certum autem est in senibus hunc motum cordis paulatim diminui, ex quo sequitur primo sanguinem non tam vegete fermentari posse, sed multis humiditatibus abundare, unde senes plerumque sunt Cachochynici, ideoque ad venerem exercendum inepti, sanguis enim eorum utpote nimis aquosus generare nequit, nisi semen etiam aquosum, nec solum partes genitales hanc jacturam patiuntur, verum etiam omnes corporis partes & præcipue stomachus & intestina, ex quibus fit, ut multæ cruditates in corpore generentur. Secundò ipsi spiritus animales quasi languent & à se invicem distrahantur, quia sanguis iis producendis est ineptus, & cerebrum cum toto genere nervoso partim obstruitur, partim multa serositate obruitur, quare functiones animæ rationalis in senibus admodum difficulter procedunt, & maximè iis præteritorum memoria deficit, quod tamen non adscribendum, ut vulgo putatur, quia vestigia à spiritibus relicta in cerebro oblitterantur, sed quia spiritus istos motus non amplius ineunt, quos aliquando iniverunt & sic ipsi animæ rationali nullam ideam creare possunt: quamvis ad illud quoque conferat aliquid nimis humida vel sicca cerebri intemperies. Mirabitur forte quispiam, me nihil de natura animæ rationalis in hisce Thesisibus dixisse, sed cum illius speculatio ad Medicinam parum faciat, multaque in ea occurrant, quæ ingenii humani imbecillitatem superant, satius forè duxi illius speculationem aliis relinquere. Forte etiam multis displicebit hypothe-

sis nostra, quam habemus in priore parte de generatione, quam tamen mordicus sustinere non volumus, quasi alia ratione fieri non potuisset, de hoc tamen cernissime persuasus, me nullam habere vidisse opinionem de generatione, quæ non multa contineret explicatu & demonstratu difficilia imo impossibilia: cum è contra nostra opinio videatur intellectu facilior, & juxta regulas motus verosimilior, non enim supponit ubique variam dispositionem partium, quæ si demonstrari possit, aliquam veritatem huic rei adferret.

C O R O L L A R I A.

I.

In ictero conveniunt fortiora cathartica.

II.

Catalepsis est morbus.

III.

Minera morbifica in corpore sunt.

IV.

Nulli morbi distinguuntur essentialiter.

V.

Omnis febris non est maligna.

VI.

Datur plathora.

I N I F

Febris

Febris est motus sanguinis intensior.

VIII.

Dysenteria potest esse sine febre.

IX.

Solus vir & mulier possunt generare.

X.

Fœtus non respirat in utero.

XI.

Tempus infusionis animæ in corpus incertum est.

XII.

Non est necesse causam variolarum fuisse in utero.

XIII.

Clysteres nutrientes conveniunt.

XIV.

Mulieri gravida venam secare quid vetat?

XV.

Medici non fuerunt servi.

F I N I S.

Doctissimo DOMINO

D. HENRICO SPOOR,

Philos. Doctori.



Laudite Pierides, Musarum plaudite turba,
Apta vel immotos turba movere polos.
Fallor? an incipiunt animos agitare sorores?
Lætaque Apollineis astra sonare modis?
Dicite, continui quæ tantalicentia plausus?
Qui mare, qui terras, Numinaque ipsa quatit?
Scilicet HENRICUS, Grudius quem nuper Athenis
Doctorum licuit cernere, Doctor ovat:
Doctor ovat rursus; modo sed Medicina triumphos,
Quos peperit, memini, Philosophia, parat.
Nempe tibi haud pridem studiorum sacra placebant;
Inque suum furtim Musa trahebat opus.
Est aliquid studiis, & pernoctasse labori;
Quæ sunt Ingenio semper amata tuo.
Hinc tibi *Nasonis* stylus, hinc facundia *Marci*
Provenit, hinc quidquid priscus *Homerus* habet:
Hinc *Sophia* pariter, pariterque *Machaonis* artes;
Quodque HENRICE tibi, non nisi *Musa* dedit.
Aspice nunc hominum quisquis medicamina poscit,
En HENRICUS adest, aspice, *Pœon* adest.
Pœon adest: vobis dabat auxiliantia morbis
Gramina, *Phabeâ* qui levet arte malum.
Et juvat inceptos subito tibi pellere morbos:
Sit radicata cura levare tibi.
Sic HENRICE manes morborum publica cura:
Postque tot *Hippocrates*, Præses *Apollo* venis.
Eja age jam dulces operarum percipe fructus;
Qui desiderii meta scopusque tui.

W. V. SCHAICK.

J. U. D.

C

Præstan-

Præstantissimo DOMINO
D. HENRICO SPOOR,

Artium Magistro & Philosophiæ Doctori.

Inauguralem Disputationem

DE HOMINE.

Pro Gradu Doctorali in Medicina suscepturo.



*Contendunt alii venturis tradere seclis
Nobilis & clari strenua facta viri.
Arridet facundæ aliis opulentia linguæ,
Aut quæ festivus verba pœta canit.
Tertius econtra scrutari sidera gaudet,
Et quæ terrigenis astra futura notant.*

*Tu quid homo, paucis monstras, quid debile corpus
Sit, fumo levius prætereunte cito.
Inde procul dubio tibi tanto gloria major,
Quanto plus reliquis ante feratur ea.
Nam nil nobilius, nihil est præstantius arte
Phœbeâ, methodo quæ docet egregiâ,
Quid Dysenterico proffit, quæ potio tradi
Febre laboranti, vel queat asthmatico.
Quid tutè reliquis possit languentibus agris
Præscribi, mediis auxiliante Deo,
Qui summus Medicus. Vos terque quaterque beati
Mortales, quibus hac contigit arte frui.
Ergo flos Juvenum, charorum magna parentum,
Spes & Apollinei gloria lausque chori.
Macte animo, recte captis desistere noli,
Crede mihi, nullum pulchrius itur iter.
Sic tandem fies patriæ gratissimus Urbi,
Et Trajectinis dulce levamen eris.*

TH. AB EYNDEN.



A D

Doctissimum Ornatissimumque Dominum

D. HENRICUM SPOOR,

*Liberal. Art. Magist. & Phil. Doct. cum post
præclaram de HOMINE Disputationem
Medicinæ laureâ insigniretur.*



Ana vocet stolidum Medicorum dogmata
vulgus,
Et munus priscais vile fuisse viris;
Desine perverſa convicia fundere linguâ
Zoilæ, non, probris quod vitieris, ha-
bes.

En *Henricus* adest *Machaonis* clarus in arte,
Expertusque tuis docte, *Galene*, libris.
Nectar Apollineum teneris jam fuxit ab annis,
Hauſit & *Hypocratis*, dulcia mella, potum.
Hic nos præſcribit cui ſint medicamina danda,
Quodque inter plaſtas dignior eſſet homo.
Si *Muſas* luſtrans *Parnassia* ſomnia quæris,
Dices, *Theſpiadum* non renuiſſe choras.
Virgilius gravibus, querulis *Naso*, *Seneca* mæſtis
Verſibus, & græcis alter *Homerus* hic eſt.

C 2

Si

Si cupis ingenium & dicendi verba modumque:
Cartesius sopia, *Tullius* eloquio.
Testatur *Grudium* cum *Trajectense* Lyceo;
Quantum sit studium, quantaque cura viri.
Ergo age vir sapiens cathedram conscendere laudis
Fas est, hinc meritò laurea ferta datur.
Euge triumphator patriæ spes altera nostræ,
Orbis honos, urbis gloria, patris amor.
Perge ut capisti, præclarum aliquando stupebit,
Sic ego vaticinor: te tua terra Virum.

ita exoptat

HENR. DE WEERDT.

